






Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.





Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

DE ACCIDENTIS MULTI-PRÆSENTIA, ET HUIUS AFFECTIONIBUS, COGNATIS, AC OPPOSITIS.

Reſpondente
MAURITIO CRAUSIO,
Chilonio Holſato.

THESIS XCIX.

ATq; Ubi hic Scripturam determinantem habemus, *quieſcere Chriſtianū decet, non cogitatis in infinitum vagari.* §. 84. 89. 90. ſeq. *Præſentia hac* DEO humana & homo divina *eſt*, *prout ſuppoſitum Deus homo eſt, quod ſequi ſolet præſentia,* §. 84. *Non abſolutè divina, quaſi ſpiritus infiniti tantùm ſit. Eſt enim Dei incarnati, & hominis Deificati. Hic* inſtitutis, promiſſis, & dictis ſcripturæ *nitendum eſt, Cum aliàs nulli hominum quidquam hac de re unquam in mentem venire potuerit.*

100. Majeſtatis divinæ, quà exſertionem, diverſa ratio in ipsâ Deitate eſſe poteſt, *ac in aſſumptâ â verbo humanitate.* Ibi *eſt actus puriſſimus, & competit per Naturam ac eſſentiam, eoq; non poteſt non-ubivis, ſemper & inceſſanter exſeri:* Hic *admittit actum primum & ſecundum, abſolutum & reſtrictum, univerſalem & determinatum, prout* vel *officiȳ ratio requiſierit,* vel *promiſſa & inſtituta determinârint: Et competit non per Naturam, ſed inhabitat per unionis diſpenſationem ac gratiam, & exaltationis efficaciam.* In ipſo DEo, *exiſtentibus creaturis præſentia evacuari non poteſt: Eſt n. infinitus ille, qui non poteſt non indiſtans creaturis eſſe.* In Chriſto homine *evacuari per exinanitio-*

nitionem potuit, finitus enim ille etiam in Vnione, vermis ac opprobrium hominum, & noviſſimus virorum in iſto ſtatu eſſe debuit. Pſal. 22. v. 6. Eſai. 53. v. 3. V. Tract. d. Eſſ. alic. §. 36. ſeq. ſ. 2. *Retraxit Chriſtus operationem divinam in humanâ Naturâ per exinanitionem, & continuit, quæ in ipsâ verbi Naturâ ac eſſentiâ perpetuò & inceſſanter cum Patre & Sp. ſ. exſerta fuit, ut* Theodoretus, Chemnitius, aliiq; *loquuntur.* V. Saxonicos in Apolog. p. 276. ſeq.

2. Nec duo Omnipræſentes hinc ſequuntur. *Præſentia enim Chriſti hominis præſentia Mediatoria eſt, inſtitutis ſuis & promiſſis determinata, & eò à nobis, præeunte Scripturâ, determinanda, non ultrà extendenda. Quomodo a. hic Scriptura determinet,* §. 90. *viſum.* Omnipræſentiæ voce non utitur: ſed aliis phraſibus rem deſcribit, in quibus ſiſtere & quieſcere noſtrum eſt, cum extra revelationem ne γρῦ quidem de his myſteriis naturalis homo percepiſſet. Cumque præſentia primò ſuppoſiti ſit, §. 85. *Et hoc in Chriſto unicum: Etiam ut ſic propriè* unus omnipræſens *eſt. Sic non duo omnipotentes, omniſcientes, etſi Chriſtus homo in communicationem horum pervenerit.* Suppoſitum enim omnipotens & omniſcium unicum eſt, ex DEo & homine compoſitum, *Chriſtus. Caro non peculiare ſuppoſitum in Chriſto, ſed* ſuppoſiti & perſonæ compoſitæ pars perſonalis eſt. *Non ergò Nova ejus præſentia, ſed ſuppoſiti: Etſi* novus modus *ejus in Carne ob diſtinctiorem doctrinam dici poſſit.* V. t. 99. Conf. d. eſſ. alicub. ſ. 2. t. 36. 3. Nec duo infinita *hinc introducuntur. Nam nec ipſa Omnipræſentia divina præcisè eſt infinita, cum omnia creata, ad quæ illa dicitur, & ex eorum reſpectu definitur, adhuc finita ſint.* V. Tr. d. eſſ. alic. ſ. 2. §. 21. *Quod infinitum eſt, non Omnipræſens ſolùm, ſed & ubiq; eſt. Inter quæ duo magna differentia,* Vt c. l. §. 20. 21. 22. *deductum. Vbiquetas autem divina, creaturæ eſt incommuni-*

municabilis, quia infinitati juncta. V.c.l. §.39. *& hoc Tractatu,* §. 77.

101. 10. Si corpus Christi veritate substantiæ reverâ in cœnâ est, & multis locis, ubi ea administratur, ac cum pane uno actu ore comeditur, sanguis simùl bibitur, gravia absurda & incommoda sequuntur, quæ Christum parùm decebunt, & Christianâ fide prorsùs indigna erunt. *Deglutietur simùl cum pane Corpus Christi, in ventrem conjicietur, dentibus atteretur, linguâ commollietur, in corpore concoquetur, per secessum ejicietur, cadente pane in terram & ipsum decidet, & quæ similia sunt, quæ cogitare horrendum est.* Et corpus Christi virili staturâ præditum corpus est: *Quomodo parvulo panis* frusto substantialiter unitum, ori comedendum exhiberi credi potest, cum quantitatem ejus hoc verissimè evertat, & consequenter veritatem tollat? ℞. 1. Nihil horum sequitur, *prout nec in alio corpore in multis locis simùl à Deo statuto quidquam eorum sequitur, quod* humanam infirmitatem redolet, *& naturales in spatiis ubicationes sequi solet, ut mori, ægrotare, famere, frigefieri, calefieri, vulnerari, verberari, occidi, morbidum esse, languere, ebrium esse, ut* §. 60. 61. *visum. Et talia sunt omnia ista enumerata, deglutiri, alterari, concoqui, secessu ejici, in terram projici, quæ naturales cibos naturaliter manducandos, & Physicas eorum comestiones comitari solent, ac de Corpore Christi nec cogitanda, nec asserenda.*

2. Eumerata illa *manducationem oralem consequuntur, sed vulgatam, naturalem, & usitatam, ubi aliquid* tanquam cibus vulgatus & naturalis, immediatè in Substantiâ sui secundùm se absolutè spectatâ, tanquam naturali nutricationi inserviens, in alimoniam naturalem & corporalem, naturali & crasso modo, comeditur. Talis autem manducatio Corporis Christi in Cænâ non est, *sed supernaturalis, Sacramentalis,*

non vulgata, nec immediata Corporis ipsius in se & substantiâ suè absolutè, verum mediatè per panem, in eo, & cum eo. Vndè non omnia, quæ panem, ejusq; comestionem in Cœnâ sequuntur, statim de Corpore Christi ejusvè commestione sunt asserenda: Nec ut cibus naturalis comeditur, sed ut Spiritualis & Sacramentalis: Nec ut nutricationi naturali, sed ut Sacramentali refectioni inserviens: Nec in alimoniam naturalem, sed Spiritualem: non ut mutetur in nos, quomodo cibi naturales in sanguinem nostrum mutantur: Sed ut in sese commutet nos. Non alteratur â nobis & in nobis: Sed in se nos Spiritualiter alterat.

102. Ore quidem cum pane & mediante eo sumitur: Sed non ut cibus ventris & Corporis, naturali refectioni aptus & destinatus: Sed animi & mentis, hominem totum, animâ & Corpore constantem, Spiritualiter reficere debens: Nec naturali modo, sed Spirituali, mystico, & Sacramentali, V. Tract. d. Pane s. 2. §. 15. Ac Oralis manducatio duplici sensu dici potest. Vel ratione organi & instrumenti, quo fit: Vel ratione modi, quo fit, & finis, cujus gratiâ fit. Primo modo oralis est manducatio Corporis Christi in Cœnâ, non secundo. In mysticis etiam organo Corporis aliquid fieri potest, quod ratione modi & finis longè ultra Naturam sit. Sic naturali Corpore & utero Maria Christum genuit; non tamen modo naturali & fine, sed Spirituali. Naturalis Virgo Maria Christum genuit: non tamen per modum naturalem, sed supernaturalem. Naturale Corpus nostrum resurget, quod hic gestavimus, modo autem longè supernaturali, & in vitam spiritualem, non naturalem. Et abstrahendo Oralem manducationem â Physicâ & hyperphysicâ, eâ, quæ per Naturam, & per Supernaturalem gratiæ revelationem, in genere potest perceptio cibi, ore Corporis, ut organo expedita dici; Dividiq; in naturalem, quæ cibi naturalis naturali modo, in alimoniam naturalem fit: & Sacramentalem, quæ Sacramentalis, modo Sacramen-
tali

tali, in alimoniam Spiritualem & Sacramentalem. Talis est Corporis Christi in pane benedicto. 3. Nec in Sacris *unquam absolutè dicitur*, Panis est Corpus Christi, Non n. immediatè ipsa Substantia Corporis Christi est, sed communicatio Corporis Christi, 1. Cor. 10. v. 16. h. e. id, quo in usu Sacramentali *verissimè Corpus Christi manducandum vescentibus exhibetur, poculum communicatio sanguinis Christi, h. e. id, quo in eodem usu sanguis ille N. T. Christi, bibentibus verissimè communicatur.* V. c. l. §. 35. *Vt non* statim à panis attributis ad Corporis Christi attributa aut denominata *descendere liceat.*

103. 4. An uno actu comedendi cum pane comedatur Corpus Christi, an duplici, an uno quidem, sub duplici tamen ratione & modo, mediatâ & immediatâ, Naturali & Supernaturali ac Sacramentali, *tricæ, subtilitates, & implicationes* Scholasticæ *sunt, sæpè ex curiositate profectæ, sæpè ob meliorem mysterij de Cœnâ explicationem & defensionem adhibitæ. In quibus, etiamsi omnia minutatim & ad unguem secare ac constituere in hâc caligine nequeamus*, Veritati mysterij & præsentiæ Corporis in Cœnâ, per id nihil adimetur. *Tutissima fides, simplicissima, & à tricis remotissima, qualis in* Apostolis Christo in primâ Cœnâ assidentibus *fuit, quibus talium plicarum nulla fortè in mentem unquam venit, Nec quisquam sensum super illis à Magistro requisivit*, *Vt* pluribus alibi *docebo. In mysterijs speciales rationes tutiùs ignorantur, quàm disceptantur.* §. 97. Conf. §. 45. 5. Cadente pane in terram, *non dicitur Corpus Christi decidere, quia cum panis decidit, extra usum suum Sacramentalem est, in quo communicatio Corporis Christi amplius non est. Ad usum enim Sacramentalem hæc adstringitur, Panis, quem frangimus, comedimus*, &c. 1. Cor. 10. v. 16. 17. 21. c. 11. v. 28. seq. *Et licet extra usum Corpus Christi junctum haberet; non tamen hoc in terram decidere diceretur, non enim loca-*

li motu imperfectionem importante moveretur, quomodo panis movetur. Sic cadente homine Corpus cadit, anima cadere non dicitur, quia imperfectionis *talis localis incapax ea. Nec quæ unita ſunt, eadem ſemper attributa ac denominationes ſortiri neceſſum eſt.* Conf. t. 94. *Vt* alibi *docetur.*

104. 6. Corpus Chriſti *virili ſtaturâ præditum eſt & manet, eoq́; partes extra partes entitativè in mole ſuâ diſtinctas ſemper retinet. Sed â quantitate ejusq́; eſſentiâ, ad actualem commenſurationem ad aliud, vel ſpatium & locum, non Val. Conſequentia. Hanc n. Deus tollere, aut immutare poteſt.* Vide tra. d. eſſ. alicub. ſ. 3. §. 27. 28. Et ſ. 4. §. 27. 28. ſeq. *Et ſic nec Corpus Chriſti ad panem* talem actualem commenſuratione̅ *requirit. Sic integer mons eſt in parvo oculo receptus totus*, §. 36. *Et in* Mathematicis *omnes lineæ quantitatis in unum punctum coëunt & recipiuntur*: In Phyſicis per rarefactiones & addenſationes eadem ſubſtantia *modò longè majora, modò minora ſpatia occupat, ut aqua in ollâ frigore denſata, & calore rarefacta, ut exemplis oſtendit* Cor. â Lapide in c. 26. Matth. v. 26. *Cur non ſimile quid, aut majus aliquod,* poteſtas divina in myſticis expediat? *Non eſt Corpus Chriſti in pane Cœnæ* naturaliter, localiter, *circumſcriptè, comprehensè, commenſuratè, extensè*: ſed myſticè, inuſitatè, Sacramentaliter, *toto genere â Naturalibus ubicationibus diversè,* ut in Sacramentali medio, cum quo in vero uſu, Inſtitutione Cœnæ fundato & expreſſo, ad Sacramentalem manducatione̅, & Spiritualem nutricatione̅, ac mortis Domini annuntiationem veſcentibus *exhiberi debet, ut iſte panis* communicatio Corporis Chriſti eſſe debeat, t. 102. *Quæ communicatio* ultra, citra, ſupra, & contra locales reſpectus & commenſurationes *expediri poteſt, ut ex illis præſentia iſta Corporis nec defendenda, nec expugnanda ſit. Et expugnari non poßit. Adeſt Corpus Chriſti in Cœnâ ex inſtituto*: Sed localibus modis &

& requisitis non adest, *eoq; nec ex illis de istâ præsentia judicari potest.* Conf. t. 73. Mystica ex institutis & promissis pendent, & nec commensurationes curant, nec speciales rationes nimis minutim inquiri ferunt: Sed in institutis hic manetur, & simplice fide, ac devoto verbis Christi assensu & obsequio tota res recipitur. V. §. 36. 86. 101. 102. Plura alibi disceptanda. *Sufficiant, quæ ad distinctè completèq;* Multipræsentiam Corporis *tradendam hactenùs pertractata fuerunt.*

105. *Hactenùs* de Substantiæ *Multipræsentiâ actum: Sequitur* de accidentis. Dico IX. Vt in Substantia finitâ Mulpræsentia DEO possibilis est: Sic & in accidente negari non debet. *Est enim hoc in Substantiâ ordinariè, non extra eam, eoq; & in eâ ac cum eâ Vbietatem & alicubitatem suam obtinet,* V. tra. d. esse alicub. s. 1. §. 24. *Vnde si subjectum ejus multipræsens à DEo statutum fuerit, & accidens mediante eo tale fieri nihil absurdi est. Sic ubi Corpus in duobus locis statutum fuerit, & quantitas, qualitas, figura, actio, &c. In pluribus ubi simùl statuta fuerit.* Excipe tamen ea accidentia, *quæ perfectioni Corporis ita statuti disconveniant, de quibus* §. 40. 61. *Visum*: Aut ultimas ubicandi formas & rationes, *hæ enim ultrà in varijs spatijs non ubicantur, ne in infinitum tandem præcipitemur.* Vt c. 1. s. 1. §. 13. 35. 36. *Visum: Sed sunt* ipsæ abstractæ & ultimatæ formæ, quib. aliquid ubicatur, & alicubi esse, vel in uno vel multis, intelligitur.

106. Ita Multipræsentiæ in finito possibilitas, & in Christo ratio ac qualitas *certis distinctisq; positionibus exhibita. Nunc* affectiones quædam *ejus lustrari poterunt, quib.* vel in sese, vel in ordine ad certa subjecta, quibus competit, vel in ordine ad cognata sua aut opposita, *quibus analoga aut adversa est, ulterius determinari & spectari possit. De quibus* sequentia *tenenda.* 1. Multipræsentia rei finitæ cum perfectionibus in re,

non

non imperfectionibus, eſt defendenda. V. t. 40. 41. 60. 61. 2. Multipræſentia quibusdam ſubjectis eſt neceſſaria & naturalis, *Vt infinito, DEo, qui ex perfectione naturæ in multis ubi ſimùl eſt, nec poteſt non ita eſſe*, V. ſ. 2. d. Eſſ. al. t. 5. ſeq. *Et quibusdam finitis, Vt animæ rationali in varijs corporis ſui partibus, & angelo corpus ad tempus aſſumenti & vegetanti in partib. iſtius Corporis. Quia indiviſibilia iſta, eoq; in ſuis corporum partib. tota præſentia eſſe coguntur.* V. t. 34. 35. Quibusdam eſt arbitraria & ſupernatnralis, *poteſtate nempe DEI ſupra naturam conciliata, ut Chriſto homini per mirabilem unionem & exaltationem, & alij corpori, ſi diverſis ſpatijs ſimùl â DEo illud ubicatum per mirabilem collocationem, & ut quidam vocant, adductionem non localem, fuerit.* V. t. 47. 59.

107. 3. Multipræſentia defendenda eſt ſalvâ manente, naturâ rerum & ſubjectorum, quorum eſt, non deſtructâ & abolitâ. *Eſt n. perfectio aliqua*, t. 41. *Perfectiones autem evehunt, non evertunt, & deſtruunt naturas rerum.* 4. Multipræſentia divinitùs rei conciliata eſt vera & realis, *ſolida ac ſine fallaciâ, fuco, aut inani ſpecie, non n. DEus inanibus ſpeciebus ludere & fallere ſolet*, Dan. 4. v. 34. 1. Sam. 15. v. 29. *Sathanica, aut per artificium conciliata, apparens, falſa, & per fictas ſaltem ſpecies repræſentata, ſæpè etiam inſidioſa, & ad fallendum compoſita eſſe poteſt. Sic* cum Ambroſium, *Severum, Ioh. Teutonicum, Paſchalem Vivam, Magdalenam Crucíam, Ant. Paduanum, velut multis ſpatijs Præſentes Sathanas ſiſtit.* V. ſ. 4. d. E. A. t. 66. Vel cum *ſpeculorum beneficio res unica decies multiplicata, ſicq; multa ſpatia occupare repræſentatur, Cum reverâ unica numero ſit, unumq; ſpatium occupet.* V. t. 36.

108. *Ejusdem farinæ ſpecies apparens fuit, cum* Samuelem mortuum velut vivum reduxit, *cum reverâ vivus non eſſet, nec verus Samuel, ſed inanis ejus ſpecies â Sathanâ ad rogatum* pytho-

pythonissæ excitata Sauli appareret, 1. Sam. 28. v. 14. *Quod &* *præcedens Sp. S. præmonitio de responso nullo Sauli per Prophe-tas dato*, 1. Sam. 28. v. 6. *Et veræ mortis de Samuele narratio*- 1. Sam. 25. v. 1. cap. 28. v. 3. *ubi anima ejus, ut pij Prophetæ, in manu DEi fuit*, Sap. 3. *Corpus in sepulchro quievit, nec ad lubitum Diaboli anima in corpus reduci, & sic Samuel reverâ repræsentari potuit; Et totius negotij per sagam gesti commemoratio*, cap. 28. v. 7. 12. *Et inquietationis Piorum post mortem, quæ hic de Sathanâ affirmatur*, v. 35. *Absurditas, cum nec in animas, nec corpora piorum Sathan quicquam possit*, Ps. 34. Sap. 3. *aliaq́; pluribus docent, ac* ex Patribus Justinus, Tertullianus, Augustinus, Basilius, Philastrius, Nyssenus, Theodoretus, Cyrillus, alijq́;, & ex Papistis *ipsum* Jus Canonicum, Sarisberiensis, Steuchus, Turrecremata, Ruicius, Arboreus, et alij *confitentur, ut frustra in contrario defendendo* Bellarminus, Delrius, Cotonus, Lyranus, Tostatus, Carthusianus, Cajetanus, aliique *laborent. Quod contrarium* Cyrillus *Deliramentum & stuporem immanem*, Philastrius *hæresin*, Theodoretus & Procopius *impium*, Augustinus *indignum facinus appellant.*

109. 5. Multipræsentia vel consistit cum Omnipræsentiâ, *Vt in Christo*, vel *cum Vbiquetate in spatijs infinitis, ut in Deo*, vel *in spatijs pluribus, quàm uno tantùm*, sistit, *Vt si DEus corpus aliquod in binis locis simùl locaret.* V. t. 39. 40. 6. Cognata Multipræsentiæ *apparentes istæ repræsentationes rerum in multis spatijs esse possunt, quas Magicâ aut artificiali vi quandoq́; pararit*: 107. *dictum. Item repræsentationes multorum in visu & auditu simùl, vel Cum intellectui varia objiciuntur, ut cum duo aut tria remota simùl sibi cogitando sistit, ut* Lipsiam, Jenam, Marpurgum, t. 35. 36. *Similiter, Cum quis corpore absens, animo tamen & imperio varias simùl urbes aut provincias gubernat, Vt Hispa-*

nus in Africâ, Europâ, & Americâ, Turcus in Asiâ & Europâ, Gallus in Galliâ & Americæ quibusdam partibus, aut præfectus aliquis commissas sibi terras aut cohortes disponit.

110. 7. Opposita multipræsentiæ sunt partim positiva, Vt unipræsentia, *cum uno spatio aliquid ita determinatur, ut simùl in pluribus non sit. Quomodo Corpora, Angeli, bruta, homines, suis spatijs usitatè continentur, ut extra ea simùl non existant:* Partim negativa, Cum nuspiam *aliquid est aut sistitur. Quam* Nullipræsentiam vel ubietatis negationem *vocare liceat. Quomodo* figmenta & non entia, *Cum esse reale nullum habeant, etiam nullibi verè esse aut existere intelliguntur & denominantur. Et quod nuspiam est, ne est quidem*, f. 1. d. E. Alicubi. t. 6.

FINIS.

Cum *pagellæ aliquot* adhuc vacaverint, non inutile visum fuit, *brevem Tractatus de Esse alicubi & Multipræsentiâ synopsin*, per theses aliquot exhibere, Vt *in typo* velut utriusque Tractatus summa repræsentaretur, & definitiones ac divisiones potiores hic occurrentes, proponerentur. Tu, Lector, his fruere: Et, si *prolixiora* tædio sunt, *breviculis* interea animum oblectato.

Epito-

Epitome Tractatus de Esse alicubi, & Multipræsentiâ.

1.

C*Vm omne, quod est*, alicubi esse necessum sit; Et quod nusquam est, ne verè esse quidem intelligatur: *Considerandum* Philosopho *inter alia est*, Quid illud alicubi esse sit, qualiter se habeat, ac quot modos & varietates admittat. *Sic enim quidditates & rationes rerum assignare distinctè poterit, quas idiota ignorat, ac per id multum à literato distat.*

2. Alicubi esse vel Ubietas, est attributum entis realis actualis & positiui, internum, & unitum, quo ens in spatio & ubi existere concipitur, explicatur, & denominatur.

3. *Non consistit formaliter* in denominatone *merè extrinsecâ*, nec operatione *transeunte*, nec *ipso spatio*, nec *in accidente prædicamentali, quod ubi vel ubicatio accidentalis dicitur*, nec *in accidente ab omni respectu absoluto: Sed in* reali modo, ex respectu ad spatium, in quo Ens esse dicitur, Sumpto & repræsentato. Realiter *cum essentiâ Entis convenit:* formaliter *& conceptualiter ab eâ differt, sicq; diversa prædicata admittit, quæ Enti ut sic, tribui non possunt. Quas porrò competentias admittat,* t. 39. seq. s. 1. d. Ess. Alic. *deductum.*

4. Estq; interminabilis & terminabilis. Interminabilis, *quæ terminos non admittit.* Terminabilis, *quæ admittit. Illa &* Ubiquetas, *hæc distinctè* alicubitas *interdùm dicitur.*

5. Ubiquetas est essentialis, Entis Naturâ infiniti, in spatiis infinitis Ubietas, nec terminos adessendi habens, nec Naturâ sui habere valens. *Estq; solius DEI, ut entis infiniti, qui ubiq; est, quia non abest, & nusquam est, quia non inclusus est. Spatia autem infinita, etsi de facto non dentur, nec dari possint: Quasi tamen dentur, cogitantur, & sic ex eorum respectu interminabilis ubietas definitur. Diciturq; DEus in spatijs infinitis extra Mundum esse, non*

 ut

ut realibus; ſed ut notionalibus. Vbietas enim ex ſe ad ſpatium reale & rationis indifferens eſt.

6. Vbiquetas DEI eſt DEO digna, *non indigna*: â *parte rei ipſa infinitas & immenſitas*; â *parte rationis eadem, ut ad ſpatia exiſtens connotatur & denominatur, eſt. Non ipſa apud Creaturas Omnipræſentia, ſed ejus materiale & quaſi fundamentum, unde hæc, poſitus ad extra creaturis, quibus præſens quid eſſe dicitur, velut reſultet: In ſeipſâ formaliter nec operatio, nec operoſa: In præſentiâ ejusq; ſpecie operationi juncta: Soli DEO propria, Creaturæ non communicabilis: Non prædicamentalis ubietas eſt, ſed eminens & ſupraprædicamentalis. Et quæ ampliùs ei competunt, de quibus fusè* c. l. ſ. 2. *actum.*

7. Alicubitas terminabilis, quæ ad ſpacium definitum eſt, vel definitiva vel circumſcriptiva eſt. Definitiva, quà Ens finitum Spirituale impartibiliter activè ſibi definiendo ſpacium, in eo eſt citra ſpacij occupationem, ut ſimul naturâ ſui extra illud in pluribus Spatijs adæquatis eſſe non poſſit. *Eſtq; Spiritus propria.*

8. *Hæc* vel completa eſſe poteſt: *quæ Spiritus completi, ſubſiſtentiam ad alterum non ordinatam habentis, eſſe ſolet, ut angeli boni vel mali, extra Corpus, quod ad tempus aſſumere poteſt, ſubſiſtentis*: Vel incompleta, *quæ Spiritus ad alterius eſſentialem perfectionem ordinati & eò dependentis eſt, ut animæ humanæ ſ. rationalis in Corpore exiſtentis. De hac* ſ. 3. c. l. *plurib. actum.*

9. Circumſcriptiva eſt, quà Ens finitum materiale partibiliter in ſpatio circumſcriptivo occupativè per Naturam ſui eſſe poſtulat, *ut & eo circumſcribi Naturâ ſui velit, & totum in toto, pars in parte ſpatij eſſe poſtulet, nec per Naturam ſui extra illud in alio adæquato ſimùl eſſe poſſit.*

10. Facto non ſemper Corpora ſpatijs circumſcribi, *primum Mundi corpus, Chaos, Mundus ipſe ſecundùm ſe totum ſumptus,*

ptus,

ptus, supremum Mundi Corpus, sive Cœlum illud, s. aqua supercœlestis, Corpus ultra mundum à DEo in vacuo statutum, in hoc mundo in spatio aliquo evacuato collocatum, ac varia rationes satis manifestè docent, & quæ obstare videntur, solida non sunt, ut s. 4. c. l. plurib. ostensum.

11. Esse alicubi circumscriptivè, *ut circumscribi possit, velit, postulet, essentiale Corpori est, & inseparabile; ac modum intrinsecum in Corpore dicit:* Actu circumscribi non *essentiale, eoq; separabile, modum in contiguitate ambientis, sine quo nulla actualis circumscriptio datur aut cogitatur, existendi dicit, & sic modum extrinsecum dicit, eoq; ad essentiam rei facere non potest. Abolito n. toto mundo omnibusq; spacijs realibus,* Corpora alicubi circumscriptivè erunt: Realib. spatijs circumscripta non erunt, *quæ nulla superent, & semper ex ambiente Corpore circumscribente sumenda sunt.*

12. Nec quod extensum in totum & molem *est, actu statim externo aliquo circumscribi necessum est.* Nec *alicubi esse eum in loco esse, facilè confundendū:* Nec *locus spatium in genere dicendus, Nimis generale enim hoc est, & ubi ac πȣ̃ aliquod universim, dicit: Sed ad circumscriptionem & terminationem ambientem determinandus, nec generalia cum specialibus, Transcendentalia cum Physicalib. Essentialia cum accidentalib. confundenda, si pro distinctis distincta voces suppetant.* Distinguendi enim Magister Philosophus esse debet, non confundendi: *Et qui benè distinguit, veritati, qui confundit, falsitati est proximus. Nec solidè ac accuratè quidquam aliud locus, quàm terminus vel spatium ambiens & circumscribens locatum, dici potest, ut plurib.* c. I. *deductum.*

13. An supra & ultra Naturam, Corpus aliquod in duob: spatijs adæquatis simùl sisti possit, *anceps & intricata est disquisitio. Et in utramq; partem argumenta non contemnenda mili-*

tant. Non facilè Christiano *stringenda divina potestas est.* Sed nec temerè *concedendū, quod rerum esse & quidditatem verè evertat.* Talia enim simùl cum re non consistunt, & Naturâ sui fieri nequeunt, eoq; nulli potestati agenti propriè subjecta esse possunt.

14. Ex merâ Naturâ *pauca fortè sint, quæ ad possibile ostendendum, satis solida videri possint. Ex* revelatione Scripturæ præassumptâ, & Naturæ junctâ, *faciliùs ad id procedi possit, & contra Christianos mysteria fidei* de Trinitate, incarnatione, Creatione, *Resurrectione, &c. agnoscentes, ex illis ad non impossibile DEo istud habendum, procedi debeat. Quomodo cum* Reformatis *inprimis res est, quorum occasione disceptatio ista mota, & disceptari adhuc Res inter literatos solet.*

15. *Commodè in toto hoc negotio* sequente methodo *procedatur.* 1. Inter *Ubiquetatem & Omnipræsentiam distinguatur,* d. Ess. al. s. 2. t. 20. seq. *De Ubiquetate nihil moveatur, ad Multi vel Omnipræsentiam cuncta dirigantur, & inprimis DEUM in duobus saltem spatijs Corpus simùl citra Contradictionem sistere posse, Reformatis ostendatur. Inde n. cætera facile consequentur.* D. multipr. t. 76.

16. 2. Exemplum de Christo ejusq; humanitate, *carne, corpore, jam ad dextram DEI exaltato, varijs in spatijs præsente, firmiter ex solo Scripturæ lumine constituatur & demonstretur, sensus dictorum solidè eruatur, ab omnib. exceptionibus & oppugnationibus plenè vindicetur, ad Naturam nihil hic excurratur, cum exemplum solâ Scripturâ innotescat, ex Naturâ nihil ejus unquam homini in mentem venire potuerit.* 3. Ab exemplo *Christi, junctis etiam cæteris fidei veritatibus, quas* Reformati *agnoscunt, ut Trinitatis, Incarnationis,* t. 14. *ad possibile Multipræsentiæ Corporis de DEo inferendum, immotâ consequentiâ procedatur,* D. Multip. t. 8. 18. *Facilius enim DEo in corpore erit*

re erit præſtare multipræſentiam, quàm divinam & infinitam ſubſiſtentiam.

17. 4. De Chriſti præſentis exemplo *& res, & modus loquendi de re, ex Scripturâ ſumatur, ſenſus dictorum proprius investigetur, in his ſiſtatur, linguis hominum nihil hic fidatur, ingentem evagandi & altercandi campum eas aperire credatur,* Spiritum Sanctum optimum & ſentiendi, & loquendi de myſticis Magiſtrum eſſe credatur, *ac ſatis diſtinctè ad ſalutem ea nobis revelaſſe exiſtimetur, ſicq́; in his quieſcere tutiſſimum exiſtimetur.* t. 84. ſeq. *Sic multis Controverſiis, logomachÿs, ſubtilitatibus, difficultatibus, & vanitatibus humanis, funis præcidetur,* & ad Verbum DEI, *tanquam unicam & perfectiſſimam myſteriorum fidei normam & formam, tota de Chriſto diſputatio magno cum Chriſtianæ rei fructu redigetur. Vt* pleniùs *alibi docebitur.* Conf. t. 23.

18. 5. Si ex Naturâ & ratione ſolâ, *Multipræſentia finitè DEo poſſibilis, ſufficienter adſtrui, aut credibilis fieri non poſſe, videatur; Præſuppoſito tamen Chriſti exemplo, cæterisq́; fidei Veritatibus de Trinitate, &c.* apud eos, qui eas *fatentur &* concedunt, *ſatis credibilis Chriſtiano fieri poterit. Eoq́; contra Chriſtianos diſſentientes ex talibus fundamentis & motivis primò omnium procedatur, poſtea ad alia pergatur.* t. 4. 18. *Ita & poſſibilitas rei commodè ſuadebitur: Et contradictionem in eo non eſſe, facilè apud intelligentes conſequetur ac impetrabitur.*

19. 6. Si generale illud, *de Corpore multipræſente in genere ex Naturâ ſatis oſtendi nequeat: De Corpore* Chriſti *tamen ex Scripturâ id oſtendi poſſe dicatur & oſtendatur, Quod cum DEO unam perſonam faciat, & ad infinitam DEI dextram in cœleſtibus conſideat.* V. t. 82. *Sic tota diſceptatio* ad ſingularia argumenta *de ſolo iſto Corpore redigetur, & in hac diſceptatione Theologo tutiſſimè ſiſtetur.* t. 83. 7. Quæ præſentiæ Chriſti *hominis*

minùs ex Scripturis objiciuntur, non ſtringere ſolidè oſtendantur, ſufficienter refutentur, & rem de Chriſto homine in terris præſente, ſolidiſſimè in ſacris fundatam eſſe, oſtendatur.

20. 8. Quæ multipræſentiæ finiti in genere *ex Naturâ & Ratione objiciuntur, ſi ab omnibus ſolvi nequeant, â foro Theologico & rebus fidei aliena & diſparata eſſe oſtendantur, multa variè inter ipſos Philoſophos adhuc controverſa eſſe, moneantur, ad alios verſatiores in his, remittantur, nihil interim rebus fidei per materias prorsùs diſparatas præjudicari poſſe exiſtimetur, & exemplum* Chriſti *è Sacris ſtatutum relinqui credatur; inquè eo ex Scripturis ſolidè cognito, permaneatur.* V. t. 73. 82.

21. 9. Principia Rationis formalia & inſtrumentalia, ut Grammatica, Logica, Rhetorica, *in ſacris locum habent, & ad interpretationem dictorum Scripturæ multum conducunt, ut adjumenta & inſtrumenta, nec unquam Spiritum S: in ſacris loquentem, ea violaviſſe oſtendi poteſt, Vt* dec. 1. Miſc. d. 10. *oſtenſum:* Materialia & realia *cautè in illis urgenda & adhibenda. Non enim omnia* æquè generalia, *ſed quædam ſatis ſpecialia ſunt, & in Naturâ rei finitæ tantùm procedunt, Vt Phyſica, Mathematica, Politica, Oeconomica.* Generalia, *Vt* Metaphyſica, Noologica, & Gnoſtologica, *primò in juſtum & accuratiſſimum ſuum ſenſum revocanda, priusquam Myſticis & Theologicis adhibeantur. Vt* alibi pluribus *dicam.*

22. 10. Semper in omnib. Controverſiis Theologicis inter rem fidei & diſceptationis Scholaſticæ diſtinguendum. Fides Chriſtiana in pauciſſimis & ſimpliciſſimis conſiſtit, *Vt alibi docebitur:* Diſceptata Scholaſtica *in infinitis difficultatibus & labyrinthis conſiſtere poſſunt, & ad notitiam explicandi ac defendendi fidem pertinent, non ipſam fidem,* t. 4. 5. 48. *Tale quid doctrina* de Ubietate & Multipræſentiâ *eſt.*

In

In fide *ut consentiatur, sedulò enitendum.* In disceptatis Scholasticis salvâ fide & caritate dissentire licet, & dissensus non ægrè â moderatis ingenijs ferendus est. *Non omnium eadem facies: Sic nec idem sensus, intellectus, & judicium. Ac mirabili sapientiâ DEVS utrumq; sic discrevit.*

23. II. Res fidei solis terminis & phrasibus Scripturæ est proponenda & inculcanda; *Termini & phrases* humanæ *universæ, Rationis, Philosophiæ, Patrum, Scholasticorum, Philosophorum, Ethnicorum, omnes â fide sunt resecandæ, & infinitum labirynthum variarum evagationum & altercationum aperiunt,* t. 80. seq. Et t. 17. hui. epit: *In quib. sæpè illud cogitandum:* Quos fugiam, video: quos sequar, non video. *Hac ratione* ad fidem *quæsitorum devenietur,* Res *ipsa ad fidem pertinens satis ex sacris constituetur,* luxuriæ *humanæ in fide froenum injicietur,* Conscientijs *consuletur,* Necessitas *punctorum fidei â majore notitiâ in fide, vel explicandi & defendendi fidem, distinguetur,* ac rei *Christianæ optimè prospicietur. Vt* plurib. lib. d. simpl: fidei *ostendam.*

CONCLUSIO OPERIS.

HÆc *etiam* de Multipræsentiâ rei finitæ *DEO possibili, ad complendam* de Esse alicubi *doctrinam, & materias Theologicas de Christi præsentiâ meliùs explicandas & intelligendas, hoc vice,* BONO CUM DEO, *disceptata sufficiant.* Quæ recta, justa, accurata *sunt,* DEO tribuenda, *& grates agendæ.* Quæ prava, distorta, inaccurata, *hominis infirmitati, & in homine esse, ab homine non ægrè ferendum, aut rigidè explicandum. Dissentire in difficilibus non licet solùm; sed expedit. Intricata est Veritas: varijs conflictibus extundi cupit. Vix post exanelatos labores se conspiciendam exhibet. Sæpiùs angit & eludit. Operum DEI scintillam tantùm assequimur,* Sirac. 42 v. 23. Maxima fugiunt

giunt intellectum, aut fallunt. *Eo moderatiùs error in abſtruſis in homine ferendus, ac benigniùs explicandus. Magis in literis timorem, quàm temeritatem homines decere, cogitandum eſt. Nec edicta prætoria cuiquam ingero: nec diſſentire prohibeo. Tantùm, quâ ratione quisq; diſſentiat, perſpiciat: ne umbras pro rebus acceptet, vel ad ſolas authoritates, velut ſaxum, adhæreſcat, & pertinaciâ pro præſidio ſe tutetur. Si quæ hic prætermiſſa, alibi tradenda ſuperſint. His interim,* Lector erudite, *mecum fruere, dum meliora inciderint. Quæ, ſi Tibi ſuppetunt, Nobiſcum candidus imperti.*

Gloria in excelſis DEO.

INDEX PRÆCIPUARUM RERVM, IN TRACTATV HOC OCCVRRENTIVM.

Crea-

Sessio

FINIS.

Errata potiora sic corrigantur.

Pag. 2. Lineâ 5. & 6. pro Contractionis, lege, Contradictionis. P. 3. l. 28. pro materiâ, materiam. P. 5. l. 10. Soleat. P. 7. l. 20. Difficultates. P. 27. l. 1. Aliquid. P. 29. l. 5. Corporis. P. 38. l. 5. Recentioribus. P. 86. l. 1. Localis. P. 89. l. 10. Immutabilitas. P. 107. l. 10. Prærogativis. l. 18. Prærogativa. P. 129. l. 28. Enumerata. Cœtera *Lector benevolus* ipse animaduertet & corriget.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

